

BREVE
SANCTISSIMI D. DOMINI NOSTRI
ALEXANDRI VII
SVMMI PONTIFICIS
AD
ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM
EPISCOPVM ANDEGAVENSEM
VNA CVM DECRETO EIVSDEM
PONTIFICIS.

2



ANDEGAVI,
Apud PETRVM AVRIL, Typographum Regis,
& Illustrissimi Domini Episcopi Andegauensis.

M. DC. LIX.



VENERABILI FRATRI

EPISCOPO ANDEGAVENSI

ALEXANDER PP. VII.



ENERABILIS Frater Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Literis Noſtris ad Fraternitatem Tuam die 29. Decembris datis ſcripſimus controuerſias inter Te, ac iſtius Diœceſis Regulares vertentes Nos Viris in ſacrâ Theologiâ, & Canonum peritiâ planè verſatis diſcutiendas commiſiſſe; iiſque auditis fore vt illas omninò decidere-

mus. Deinde post accuratum examen vnanimi eorum Censurâ Nobis relatâ, & Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum votis etiam intellectis, propositiones in Decreto, quod accipies ex Venerabili Fratre Archiepisco Cæsareæ Nuntio Nostro, contentas, prout in eo qualificatæ leguntur auctoritate Apostolicâ declarauimus, & declaratas decreuimus, ac tales ab omnibus haberi præcepimus. Quibus peractis speramus concordiam istîc, & quietem pristinam communi cum omnium satisfactione redditum iri; quod sanè ad omnes Diuini cultus, & animarum salutis rationes vel maximè pertinet; adeò vt non dubitemus quin pro singulari vigilantiâ, & prudentiâ Tuâ sedulam operam in eâ re nauaturus sis; quo profectò rem etiam summoperè Nobis gratam efficies, qui zelum, & Virtutes Tuas magnifacimus, & præcipuo Paternæ voluntatis affectu complectimur, eius argumenta, quoties res tulerit, nunquam non exhibituri. Interim Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. DATVM Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Februarij 1659. Pontificatus nostri anno quarto. Signatum F. Florentinus.



DECRETVM.

FERIA V. DIE 30 *IANVARII* 1659.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro diuinâ prouidentiâ Papâ VII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis D D. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Vniuersâ Republicâ Christianâ contra Hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à sanctâ Sede Apostolicâ specialiter Deputatis.

Cum nuper à Regularibus Mendicantibus Diœcesis Andegauensis iudicio Sedis Apostolicæ : (ad quam dumtaxat controuersias fidei, & morum Vniuersalis Ecclesiæ pertinet definire) infrà insertæ propositiones fuerint oblatæ, de mandato Sanctissimi D.N.D. Alexandri diuinâ prouidentiâ Papæ VII. plurium Theologorum,& Canonistarum à Sanctitate Suâ ad id specialiter deputatorum examini sunt commissæ, quo peracto, & relatâ Sanctitati Suæ vnanimi eorumdem Theologorum, atque Canonistarum Censurâ, Idem Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum & Reuerendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, easdem propositiones

prout infra qualificatas auctoritate Apostolicâ declarauit, & declaratas decreuit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

I.

Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Galliâ ad obtinendas approbationes ab Episcopis, vt sæcularium Confessiones audire possint, neque ex illius Concilij auctoritate priuilegia Regularium restringi possunt, cum in Galliâ receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei; neque etiam Bulla Pij IV. pro confirmatione illius Concilij promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim, & schisma inducens, sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolicæ injuriosa.

II.

Vbi Concilium Tridentinum est receptum non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque illas vllâ ex causâ reuocare; Quinimò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; etsi ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexè accepta, est falsa, temeraria, scandalosa, & erronea.

III.

Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab vno Episcopo ad confessiones audiendas in

ſuâ Diœceſi, habentur pro approbatis in alijs Diœceſibus, nec nouâ Epiſcoporum indigent approbatione : Regulares habent poteſtatem abſoluendi à peccatis Epiſcopo reſeruatis, etiam ſi ab Epiſcopo auctoritas ipſa ipſis indulta non fuerit.

Quoad primam partem eſt falſa, & ſaluti animarum pernicioſa. Quoad ſecundam partem eſt falſa, auctoritati Epiſcoporum, & Sedis Apoſtolicæ injurioſa.

IV.

Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum Verbum Dei, diuinam Legem, Fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catecheſibus annuntiantur, & docentur.

Quoad primam & ſecundam partem ſimpliciter accepta eſt erronea, & temeraria, ſuppoſitis verò Priuilegijs Apoſtolicis nullam meretur cenſuram. Et quoad tertiam partem de auditione Verbi Dei ſeruetur diſpoſitio ſacri Concilij Tridentini.

V.

Talem legem in hac materiâ nec Epiſcopi, nec Concilia Prouinciarum, vel Nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.

Suppoſitis itidem priuilegijs Apoſtolicis nullam meretur cenſuram; verùm iſta non eſt prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

VI.

Regulares Mendicantes petere possunt licitè à Iudicibus Sæcularibus, vt iniungant Episcopis, quatenùs ipsis mandata concedant ad prædicandum in Aduentu & Quadragesimâ: Quod si renuant facere Episcopi, decretum Iudicum Sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

Est falsa, erronea, & in Hæresim & Schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem, & declarationem à cunctis tenendam, sequendam, & in praxi obseruandam esse Sanctitas Sua declarauit, & mandauit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos impositis: contrarijs quibuscumque non obstantibus.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarius. Loco † Sigilli.

Et ego infra scriptus Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Cæsariensis in Gallijs Nuntij Apostolici Secretarius, & Protonotarius Apostolicus de mandato eiusdem Illustrissimi D. Nuntij præsentem copiam ex suo proprio originali penes ipsum Illustrissimum D. Nuntium existente manu propriâ transcripsi, cum eodem collationaui, & in omnibus cum illo concordare fidem facio, & attestor. In quorum &c. DATVM Parisijs hac die 29. Martij 1659.

Ita est Bartholomæus de Comitibus Protonotarius Apostolicus. Sigillatum.



FERIA QVINTA

Die 24. Septemb. 1665.

IN

CONGREGATIONE GENERALI

S. ROMANÆ ET UNIVERSALIS INQVISITIONIS

Habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis.

CORAM

SS. D. D. N.

ALEXANDRO

DIVIN. PROVID. PAPA VII.

AC

Eminentiſsimis ac Reverendiſsimis

DOMINIS

S. R. E. CARDINALIBVS,

Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Juxta Exemplar impreſſum ROMÆ, in Typographia Rever. Cameræ Apoſtolicæ 1665.

SSmus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Euangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ Christianæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret; idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit: qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare si probare non possis.

Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proindè non est denunciandus.

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.

Non

Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Qui beneficium curatum habent possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni, publicè & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac

etiam judicem à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam judicis, eo quod ſit pœna.

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

Non eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens commiſi cum ſolutâ grave peccatum contra caſtitatem non explicando copulam.

Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

Si

Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.

Populus non peccat etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

JOANNES LVPVS *Sanctæ Romanæ & universalis inquiſitionis Not. &c.*

Loco ✠ ſigilli.

Anno

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI 1665. indictione tertia, die verò 2. mensis Octobris, Pontificatus verò Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis urbis, per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Iuxta Exemplar impressum ROMÆ, in Typographia Rever. Cameræ Apostolicæ 1665.


OMNIA VER
APERIT
FOETAQV
TERRA·P